

durante dicta tregua, & anno de continuando. Et vice versa ipse D. Marchio, & ejus terra, vassalli, & homines, quæ nunc habent, & tenent, quocumque modo habeant, & teneant, etiamsi pertineant ad ipsa communia, & homines civitatis Alexandriae, jurisdictionis, & districtus, Aquarum, & Episcopatus, jurisdictionis, & districtus, Caxinarum, jurisdictionis, & districtus, vel ad aliquem, vel aliquos ipsorum communium, & hominum, illud habeat, & teneat durante dicta tregua, & anno de continuando; ita quod de hoc eis nulla quæstio moveatur per dicta communia, & homines, nec per aliquos, vel aliquem ipsorum fiet, quominus ipse D. Marchio, & ejus terra, vassalli, & homines, quæ nunc habent, & tenent, habeant, & teneant durante dicta tregua, & anno de continuando.

Item quod ipse D. Marchio durante dicta tregua, & anno de continuando non possit per se, nec per aliquam aliam personam habentem causam ab eo, nec aliquibus obligationibus, vel contractibus quocumque nomine censeantur contra commune civitatis Alexandriae, nec contra partium, quæ hinc retro fuissent in civitate Alexandriae, nec contra alias personas civitatis, jurisdictionis, & districtus Alexandriae, seu contra alias personas, vel universitatem aliquam, vel alii pro eo fuissent pro communi Alexandriae, seu pro aliqua alia singulari persona civitatis Alexandriae, vel districtus, causa aliqua obligationis, vel cujusdam pacti ipsius D. Marchionis, sive aliunde. Et e converso ipsum commune, & homines Alexandriae, & universitas non possit uti contra ipsum D. Marchionem aliquibus juribus, contractibus, & obligationibus factis hinc retro durante dicta tregua, & anno de continuando.

Item quod carcerati, qui detinentur per ipsas partes, vel per aliquam ipsarum, sive per aliquem, vel aliquos de ipsis partibus de alia parte, seu de aliqua terra jurisdictionis, & districtus alterius partis quocumque modo, vel causa detineantur, libere, & sine redemptione aliqua a carceribus relaxentur, solvendo guardias condecens ad arbitrium dictorum D. D. Gullielmi Marchionis de Carreto, & Facii de Gen. s, si non possent se de ipsis guardiis ipsi carcerati cum custodibus convenire.

Item quod Foreusciti Nitiae, Montisrocherii, Castri veteris, & Montaboni pro parte civitatis Alexandriae, & Foreusciti S. Salvatoris pro parte D. Marchionis godire possint, & debeant bona sua, & res suas ubicumque ea habent super finibus, terris, & jurisdictione ipsarum partium, seu alterius ipsarum, & per suos tamen nuncios, ita quod personaliter non accedant, nec vadant ad loca, unde Foreusciti sunt durante dicta tregua, & anno de continuando.

Item quod D. Marchio Montisferrati teneatur suo posse procurare, quod homines Alexandriae, & districtus absolvantur per Summum Pontificem, & Romanam Ecclesiam ab excommunicatione, & interdicto, in quo sunt. Quam treguam, & omnia, & singula prædicta dictus D. Gullielmus procurator nomine dicti D. Marchionis, & dictus D. Facius Syndicus nomine dicti communis ex hominum civi-

tatis Alexandriae, jurisdictionis, & districtus promittentes quod dictum commune, & homines Alexandriae facient, & curabunt, quod prædicta communia Aquarum, Caxinarum, & Grogardi, & jurisdictionis, & districtus eorundem prædictam treguam, & omnia, & singula in ea contenta attendent, & observabunt inter sese vicissim universaliter, & alter alteri solemniter stipulatione omni effectu attendere, & observare promiserunt, & nullo ingenio, modo, vel causa contrarietate, vel venire. Et durante dicta tregua, & anno de continuando una pars alteram, nec aliquis de una parte aliam partem, seu aliquem de alia parte non offendet contra dictam treguam, nec offendi faciet, nec ei damnum dabit in re, vel persona sub poena decem millium marcharum argenti, quæ poena solvatur, & exigatur a parte non observante dictam treguam parti attendenti, & observanti toties, quoties fieret contra ipsam treguam, vel contra prædicta fieret. Et soluta, vel non soluta ipsa poena, nihilominus rata, & firma permaneat ipsa tregua, & quidquid superius est præmissum usque ad terminum supradictum. Ita tamen quod una pars non intelligatur alteram offendere, nec facere contra dictam treguam, nec ipsam treguam rumpere, si amicos suos juvaverit, vel ipsis amicis consilium, vel auxilium dederit in eorum amicorum terris, jurisdictionibus, & districtibus, dummodo aliquam terram, quæ per aliam partem nunc teneatur, vel durante dicta tregua, & anno de continuando tenebitur, non offendant, nec invadant; nec intelligatur similiter facere contra treguam, nec treguam rumpere, si aliqua singulares personæ, vel persona de ipsis partibus aliquem de alia parte offenderet, vel damnum daret, sed restituatur, & emendetur damnum passo infra mensem unum a die damni dati, si tamen de ipso damno, & offensa fuerit manifestum. Et pro prædictis omnibus, & singulis firmiter attendendis, & observandis obligatur una pars alteri promittens, & obligans stipulanti, & recipienti nominibus, quibus supra . . . omnia earum partium bona pignora vit. Item quod una pars aliam, & bona utriusque sub quolibet iudice convenire, & possit subjiciendo se se, & ipsas partes, & quamlibet ipsarum jurisdictioni cujuslibet iudicis etiam non sui, renuntiando fori privilegio, & omni alteri juri, quo se tueri posset, & venire contra prædicta, vel aliqua prædictorum, consententes ipse D. Gullielmus nomine dicti D. Marchionis, & ipse D. Facius nomine dicti communis civitatis Alexandriae dictam treguam, & omnia ista fore necessaria, & utilia ipsis partibus, & cuilibet ipsarum partium. Et teneatur D. Marchio illos vassallos suos, quos pro parte sua voluerit esse in dicta tregua nomine communis Alexandriae, declarare, & mittere per publicum instrumentum infra tres menses. Et inde plures cartas unius tenoris fieri rogaverunt, & præceperunt presentibus venerabilibus viris D. D. Ruzia Abbate Monasterii S. Petri de Aquis, fratre Percivalio Pipere Vicario custodiae Montisferrati, fratre Pagano Lodula, Manfredo Bufano capitaneo populi Aquensis, Uguzzono Pellucco, Uberto Archidiacono Aquensi, Sturione